







67



Hierin 25 Diss. varior. locor. 1786-61

aus: London (1)  
Erfurt (1)  
Halle (7)  
Altona (1)  
Hamm (1)  
Frankfurt a. O. (1)  
Göttingen (8)  
Strasbourg (4)  
Rostock (1)













DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**CORRVPTELIS**  
ARTEM MEDICAM  
HODIE DEPRAVANTIBVS

---

QVAM  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
SPECTATISSIMORVM  
**GYMNASIARCHAVM**

IN  
REGIO GYMNASIO ACADEMICO ALTONENSI  
*PRAESIDE*

VIRO DOCTRINA ET EXPERIENTIA CLARO  
**D. GEORG. CHRIST. MATERNO**  
DE **CILANO**

PHILOS. NAT. ET MEDICINAE PROFESSORE COMITAT. PINNE-  
BERG. ET RANZOVIENSIS MEDICO PROVINCIALI, ALTO-  
NENSIVM POLIATRO ET COLLEGII ANATO-  
MICI DIRECTORE

**PATRONO AC PRAECEPTORE MAXIME COLENDO**

DIE SEPT. A. MDCCXXXX.  
IN AVDITORIO MAIORI

PVBlice DEFENDET  
**HENRICVS FRIDERICVS DELIVS**

WERNIGERODANVS, MEDICINAE CVLTOR.

---

ALTONAE,  
OPERIS HÜLLIANIS.

DISSECTATIO MEDICA

DE

CORRUPTELIS

ARTEM MEDICAM

HODIE BILVAANTIBVS

GEORGIUS

GYMNASII

REGIO

D. GEORGII

DE QVANO

IN

COLONIA

IN

FERRICVS DELIVS

ALTONAE

OPRIS HALLMANI



VIRO  
EXCELLENTISSIMO GENEROSISSIMOQUE  
**GEORGIO WILHELMO**  
S. R. I. LIBERO BARONI  
DE **SOEHLENDAHL**  
REGII ORDINIS DANICI DANEBROGICI  
EQVITI AVRATO  
COMITATVS RANZOVIENSIS GUBERNATORI  
DOMINO AC MAECENATI SVO  
GRATIOSISSIMO

EXCELLENTISSIME  
GENEROSISSIMEQVE  
BARO

DOMINE GRATIOSISSIME.

**I**ndulgentia TVA, DOMINE EXCEL-  
LENTISSIME, quam hucusque tacita  
veneratus sum mente, me hortatur, vt  
hasce pagellas TIBI dedicare audeam. Li-  
bellus paruus quidem TIBI offertur, qui ta-  
men rem maximi momenti in se con-  
tinet. Praecipuum enim locum, quando  
de rerum publicarum felicitate cogitamus,  
merito sibi vendicat artis salutaris ingenua  
constitutio. Haec vbi corruptelis naeuis-  
que conspurcata est, ibi noxa in hominum  
incolumitatem certo redundat, quum ne-  
que ciuium sanitati rite consulatur, neque  
ista vacillans iusto ordine recuperetur.  
Quodsi

Quodsi e contrario dogmata medica e vera  
theoria hausta, in aliorum commoda recte  
vertantur, vberrimi inde vsus sperandi sunt.  
Quo itaque grauius hocce argumentum est,  
eo maiori opera in medicinae corruptelas  
inquirere iussit necessitas, nec mihi vitio  
verti poterit quod artis medicae corrupte-  
las, publica dissertatione lustrandas in me  
susceperim. Patiare igitur, VIR ILLV-  
STRISIME, vt nomen Tuum huic differ-  
tationi praescribam. Ea enim gratiosae  
TVAE benignitatis decantata est indoles,  
cui ingenia in reipublicae vtilitatem aliquid  
molientia non tantum probantur, sed ea-  
dem etiam abs TE suffulciuntur. Per bien-  
nium in Regio Gymnasio Academico Al-  
tonensi optimis artibus, Philosophiae ni-  
mirum ac Medicinae mihi vacare licuit.  
Iam vero illustri hoc Prytaneo vale dicturus,  
in Academiam Halensem concedere, prius  
autem vires meas qualescumque disputando

) 3

peri-

periclitari constitui, & quanta TVI in me  
sit veneratio publice exponere TVVMque  
patrocinium obnixè rogare decreui. Be-  
nigno itaque vultu serenaque, qua soles,  
fronte, oblatas pagellas suscipere haud de-  
dignaberis. TE vero DEUS per longam  
adhuc annorum seriem & animo & corpore  
incolumem in rei cum publicae tum litte-  
rariae commodum seruet, ac TE GENE-  
ROSISSIMAMque FAMILIAM nullo ve-  
rae felicitatis dono indigere iubeat. Vale  
& si quid amplius efflagitare licet, faue


**VIR**  
**EXCELLENTSISIME**

NOMINIS TUI

ALTONAE,  
D. XXI. AVG.  
MD CC XXXX.

DEVOTISSIMO CVLTORI  
HENRICO FRIDERICO DELIO.  
MED. STUD,





## PROLOGUS.

**A**rtium scientiarumque incrementa quae nostro tempore magnis augentur accessionibus, omnium excitant admirationem; adeo quidem, ut ad absolutae perfectionis fastigium illas propemodum evectas esse videri possint. Hi enim, qui in amplificandis illis suam ponunt operam, viri plerumque sunt acuti, indefessi, *societatibus*, ut vocant, *scientiarum* adscripti, & quod praecipuum est, Principum auctoritate ad id negotii conuocati amplisque eorumdem largitionibus redempti: ut iam non tam de incrementis, quam de incrementorum ponendis limitibus discernendum esse videatur. In hanc vero sententiam ibunt illi, quibus solenne est scientiarum statum ceu optimum, vel ex incrementorum fama, vel ex copia aestimare librorum, quibus artem aliquam perficere satagunt illorum auctores. Verum enim vero, quorum interest scientiarum fata paulo

paulo penitius perspicere, illarumque conditionem, quam hodie  
florentissimam esse non pauci praetexunt, examini subiicere,  
illi rationibus bene subductis hac de re compertum habebunt,  
quod varia etiam *corruptelarum genera*, veris artium augmentis  
tantum obsint, quantum pertinax multorum industria adferre  
potuerit vtilitatis. Extra oleas iam vagari & quibus corruptela-  
rum, fluctibus quaeuis scientiarum iactetur, in praesenti dispicere  
amploque sermone exponere, animus haud est: cum non testium  
penuria, sed remediis ad tollendas corruptelas validis, ad hoc  
vsque tempus omnino destituamur. Quare in libello isthoc e re  
nostra esse iudicamus, illam demonstrare perniciem quae artis  
potissimum *medicae* incrementis maxime officere eamque vario  
modo labefactatam plurimorum contemptui exponere soleat.  
Fiet id strictim quidem, at ea tamen, qua par est dexteritate,  
vt vel sapientiores cognoscant, in tanta rei medicae luce dari ni-  
hilo minus tenebras, quibus artis splendor, quem non ita pri-  
dem indepta est, infringatur partim, partim vero obscuretur.  
Faxit OPTIMUM NUMEN, vt & hi conatus suis, quos im-  
pense optamus, non destituantur vsibus.

DIS-

# DISSERTATIONIS

## PARS PRIMA

DE

### CORRUPTELIS QUAS INFERUNT DOCENTES.

#### §. I.

**A**cturis de artis medicae corruptelis, lege quali iniunctum est, *Corrupte-*  
 vt, quid corruptelarum nomine intellectum velimus in ipsa *lae descri-*  
 statim libelli exponamus fronte. *Corruptela* nimirum hoc *ptio.*  
 loco nobis idem est, ac quaeuis *perniciēs* quae artis medicae, vel  
*certitudinem* dubiam reddere, vel eius *augmenta* remorari, adeoque  
 eius *splendorem* infringere valet.

#### §. II.

Et cum ea sit humani generis conditio vt raro quemquam *Corrupte-*  
 inuenias qui regi se non patiat *affectuum* dominio; qui malae *larum*  
 non velificetur *consuetudini*; quem aliquo modo non captum te- *fontes.*  
 neant *praeiudicia* & cui denique non officiat rerum *ignorantia*: tum  
 mirum non est, quod ne artis quidem doctores omni culpa ita va-  
 cent, quin ab illis quoque corruptelarum partem aequae ac a tiro-  
 num caterua deriuandam esse omnino constet. Ob quam rem  
 paucis excutiendae erunt corruptelae, quae ex vno fontium, quos  
 indicauimus pullulant, atque artem omnino vehementer deprauant.

#### §. III.

Primum hic locum obtinet perpetuum *contradicendi studium* & *Corrupte-*  
 infelix ille pruritus, veritates quasuis ab aliis demonstratas & iugi *lae ex am-*  
 experientia firmatas impugnandi ac subuertendi. Occupauit iam *bissione.*  
 a longo tempore isthaec lues animos docentium, inprimis iunio-  
 rum; qui vt amplioris famae, cui tantopere inhiant, gloriolam  
 aucupari possint, viros in arte medica vndiquaque celebres, multa  
 doctrina & longa experientia claros, virulento sermone impetunt;  
 errores, si diis placet, monstrare & de ignorantia illos arguere  
 non erubescunt; vt vel hoc modo ex aura discipulorum populari,  
 aliquid existimationis sibi concilient, & doctissimis videantur do-  
 ctiores plaususque *precarios* accipiant.

#### §. IIII.

Dum vero in id incumbunt, prudentiorum iudicio, magno  
 A conatu

conatu semetipfos reddunt inermes ac ominosae corruptelae ob-  
 stetricantes quasi porrigunt manus. *Primum* enim auditores non  
 nouis veritatibus imbuunt, sed nouellis pascunt opinionibus, quae  
 non raro veri etiam destituuntur similitudine, quibus tamen si  
 delectati fuerint homines *physices; anaromes ac physiologiae medicae*  
 ignari, quales omnino esse solent tirones; ad medicinam feliciter  
 faciendam profusus redduntur incerti atque inepti. *Deinde* hoc ipso  
 male consulunt studiis adolescentium, damnando ea quae alii rati-  
 onibus & multiplici experientia demonstrata dederunt (quorum  
 tamen scripta pusilli nostri gigantes non intelligunt;) quia inde  
 ipsi arti medicae haec subnasci solet corruptela, vt discentes non  
 tantum ipsi euadant dubii & haestabundi, sed incauti ipsius quo-  
 que artis in dubium vocent *certitudinem*, atque ita valido verioris  
 doctrinae fundamento destituti, infelicem occipiant praxin, eam-  
 que factis per multas mortes experimentis, exercent. Quibus  
 autem erectior mens est, & qui iudicio magis pollent subacto, illi  
 re bene pensitata optabunt, vt aliquis sponsonem faciat, & omnia,  
 quae ampullaris doctor protulerat vera esse, nullisque dubiis premi,  
 pro certo adfirmet. Quod enim accidit viris in arte exercitatissi-  
 mis, id paullo post metuendum erit homini, qui ex inclarescendi  
 quodam morbo, sapere sibi visus est; vtut insanientem alii pronun-  
 cient. Atque hi esse solent *ambicionis fructus* & oriundae inde  
 corruptelae.

## §. V.

*Corruptela*  
*ex auari-*  
*114.*

Ad indomitos porro adfectus *πλεονεξίας* pertinere vitium,  
 nemo inficias ire contendet. Ex isto autem fonte apud docentes  
 illud scaturit malum, vt quidam doctorum in quauis studii medici  
 parte dimidiata solummodo opera suos informet auditores, &  
 quae bona fide in recitationibus publicis atque priuatis proponi  
 deberent, ea omnia reseruent priuatissimis; vt odor lucri eo sit  
 suauior & quaestus amplior. Nam summi tantum doctrinae tra-  
 duntur apices & vulgaria quaeuis, quorum cognitionem compa-  
 rare sibi tirones vel sola potuissent Syntagmatum lectione. Hos  
 tam ingentes defectus ipsi indicant docentes, optime memores,  
 operae, quam dimidiato conatu in discentes locauerant. Quare  
 ad recitationes priuatissimas inuitant, eas commendant immo vr-  
 gent: non profecto sine insigni temporis dispendio atque opum  
 detrimento. Qui iam fortunam experiuntur mitiorem & dupli-  
 catae mercedi soluendae pares sunt, illi hoc modo defectus resar-  
 cire

cirè valent: quibus autem cum inopia colluctandum est perpetuo, quod bonis mentibus plerumque accidit, illi semidocti & semiignari ex academiis dimissi, tantum in praxi clinica praestare valent, quantum ipsorum profectus concedunt, non sine aegrorum damno & rei publicae incommodo.

§. VI.

In non paucis praeterea desideratur fidelitas in docendo: non quod voluptatis dominium, frenum iniiciat docentium industriae, atque laboris suadeat compendium; sed quod *invidia* non patiatur cum tironibus communicari ea, quae necessario instillanda essent animis illorum, quos ad arduum sanationis negotium plenius praeparare fas esset. Hinc omnia tamen vulgaria sint, invidis arcana audiunt, nisi pretio prius soluto addiscenda & sub fide silentii ab auditoribus occultanda. Metuunt enim fortunae suae eiusmodi docentes, & quantum possunt cauent, ne & iuniores sapiant atque occasionem ad lucrum faciendum maturius iusto intercipient. Quam artis corruptelam non minimam esse publice conquerimur.

§. VII.

Artem insuper deprauat illa docendi methodus, qua iuvenes per singulos theoriae ac praxeos medicae partes ad eum modum edocentur, quem placita antiquorum medicorum suppeditant, aut verius, imperant. Multi enim recentiorum, nescio quo ardore perciti in tanta scientiarum luce illud GROTII consilium *Nic. Heinsio* olim subministratum: *lege veteres, sperne recentiores, & eris nos*; etiam ad rem medicam adplicant, & magno antiquitatis & auctoritatis praecudicio acti, in *Physiologia medica*, quae partium theoreticarum prima est, veterum opiniones tanto feruore propugnant, vt nihil etiam verum esse velint, nisi a vetere quodam id dictum scriptumue sit. Verum enim vero, quam intricata, male cohaerentia & somniis saepe simillima sint dogmata veterum physiologica, id norunt illi, quibus curae fuit, antiquorum monumentorum penetralia lustrare, omniumque opinionum curatam cognitionem, improbo labore sibi comparandam, obtinere. Vniuersa caeterum physiologiae medicae doctrina *triplici* superstructa est fundamento: & quaecumque in corpore humano fiunt, dum viuum & sanum habetur, hisce innititur basibus, *motori* nimirum; *motibus vitalibus* a corporis motore cendis; & horum *motuum esse* *fibus*. Nullum ex his distincte cognouerunt antiqui; sed *calido* suo innato τῷ θερμῷ εὐφύτῳ & ζῳτικῷ omnia corporis humani

Φαινόμενα expedita voluerunt, & sicubi clarius loqui contendunt  
 ad το προς συντροφον confugiunt. Cuius rei exemplum praebet  
 HIPPOCRATES lib. de arte. no. XXII. Et anonymus auctor graecus,  
 cuius libri de diaeta in Hippocratis operibus existant, lib. 1. no. III.  
 hominem & animantia igne & aqua constare docet ac utriusque  
 δυναμιν hoc modo explicat: το μεν γαρ προς δυναται παντα δια παν-  
 τος κινήσαι. το δε υδωρ παντα δια παντος θρεΐσαι. Ignis omnia per  
 omnia mouere potest. Aqua vero omnia per omnia nutrire. Ignem  
 ergo connatum motuum vitalium auctorem esse non obscure quidem  
 indicant, sed quid illud calidum & προς συντροφον proprie sit, nus-  
 quam explicare valuerunt veteres. HERM. tandem CONRIN-  
 GIVS in libro singulari de calido innato seu de igne animali huic ca-  
 lido patrociniatus est; illud ipsum describendo: quod sit siue qua-  
 litas siue substantia quaedam calida quae causa est cur animalia ca-  
 leant, sed qua id fecerit perspicuitate in aprico est. Capite VI. ad  
 stabilendum porro hocce calidum innatum ad Galeni quemdam lo-  
 cum prouocat, ac si omnium veterum calculo illud esset adproba-  
 tum; verum enim vero GALENVS non positue hoc pronunciat sed  
 recitative vt loqui amant rhetores. Scribit nimirum in libro de mar-  
 core cap. III. hunc de calido & igne congenito λογον omnibus ferme recen-  
 tioribus medicis atque philosophis probari: quod effatum CONRIN-  
 GIVS in partes suas trahere laborat, sed minus feliciter, quia verba  
 Galeni immediate sequentia callide reticet. Subdit enim Galenus:  
 HAEC TAMEN SENTENTIA MEO IVDICIO VERA NON EST.  
 Atque huius generis sunt principia veterum physiologica; quibus  
 dum recentiores in tradenda theoria medica innituntur, flammula  
 & lucula sua vitali, calidoque innato nihil aliud praestant, quam vt  
 omnes saniores conceptus exurant, & tirones ignaros in densas  
 coniciant errorum tenebras. Fatuitatem ac futilitatem istius ignis  
 magnus quondam medicorum Coryphaeus IO. SENNERTVS suo  
 fit in Insit. lib. I. cap. V. vbi sequentia legas: Sed quae sit caudi in-  
 nati natura, maxime dissentiant; adeo quidem, vt quo quis in inuesti-  
 ganda calidi innati natura plures auctores in consilium adhibeat, eo fere  
 incertior reddatur. Vnde qui calidi innati naturam explicare tentat, rem  
 difficilem & obscuram adgreditur; & si qua in re a vero aberrat, facile  
 apud viros doctos veniam meretur. Hinc praestantissimus ille Medicus IO.  
 BAPT. MONTANVS in Comment. ad aph. Hipp. Sect. I, 14. scribit: Ego  
 vt ingenue fatear, profitebar me doctorem esse, & vix tandem senex cognoui  
 quid esset calor innatus. Verum nec senex etiam calidi natiui naturam  
 integre

integre cognovit. Et suo tempore celebris Germaniæ Medicus G. W. WEDELIUS in *Physiol. med. Sect. II. cap. V. p. m. 49.* de calidi innati fabula palam hoc modo edisserit: *Calidum innatum & humidum radicale ut & spiritus vitalis nullus datur, & nullum in rei veritate aliud est quam sanguinis & seris energia & iusta dispositio. Dum abstractiue loquuntur Philosophi & de calido seorsim philosophantur, sane in incerto vehuntur pelago ut plurimum, & quid calidum hoc tandem sit non aliunde sciunt quam ex libris & aliorum effatis &c.*

§. VIII.

Neque felicius agunt ex antiquitatis admiratoribus illi, qui Galeni placita lectui, spiritum *animalem, vitalem, & naturalem* in locum calidi innati surrogant & motuum rationem in utroque hominis statu, sano nimirum aut aegro ex illorum spirituum vigore explicare satagunt. Quidquid enim inde concluditur, principii petitionem inuoluit, nihilque minus quam scientiam parit, quia existentia horum spirituum a nemine veterum demonstrari potuit. Galeni enim de his rebus, effatis, nemo demonstrationis robur inesse facile crediderit. Ita vero GALENUS de Hipp. & Plat. decretis lib. VII. cap. III. f. m. 180. *Spiritus qui in arteriis continetur vitalis & est, & dicitur: qui in cerebro animalis: non quod substantia animae sit, sed quod primum sit eius ibi habitantis instrumentum, qualiscumque substantia postea fuerit. Sicut vero vitalis spiritus & in arteriis & in corde gignitur\** (materia generationis ex inspiratione et humorum exhalatione sumpta:) *ita animalis ex vitale perfectius concocti oritur. Idem libro XII. de metodo med. cap. V. f. m. 75. de spiritu naturali non sine haesitatione pronunciat: Quod si naturalis quoque aliquis spiritus est, utique in his quoque, iecinore nimirum & venis continebitur. Egregia sane dogmata physiologica; quibus qui iuuenum animos imbuiere laborant, non aliud agunt, quam qui famelicum quemdam PARACELSI, HELMONTII, SEVERINI, SYLVII, WILLISII aut TAKENI phantasmatibus exfatigare vellent. Quaecumque autem de principii antiquorum physiologicis in medium hic prolata sunt, ea omnia de monstrifosis eorundem dogmatibus pathologicis aequae valent; veluti id ipsum in compendio dilucide exhibuit Cel. IO. WVNCKERVS in conspectu pathol. Tab. I. p. 3-9. Conf. D. IO. SOPHRO-*

A 3

NII

\* Qua porro ratione spiritus iste beneficio fermentationis ex mente medicorum superiorum saeculorum iterum restauretur, c. CHRISTIANI LANGII *miscell. curios. med. N. XXXIII. p. m. 122.* cognoscent quibus ista curatius nosse expedit.

NII KOSAKI anatomia vitalis microcosmi, vbi, cuius pretii illo tempore doctrina pathologica fuerit, quilibet magna cum indignatione mirabitur.

§. VIII.

*Corruptela  
ex praeiudicio  
novitatis.*

Isthac tandem fictionum crepundia veteribus adeo grata & a non paucis saeculi XVI. & XVII. medicis, novis fabellis magis deformata, recentiori aevo iure meritoque profligata sunt: hinc vniuersa theoria medica alii prorsus fundamento superstructa habetur. Operam suam in hoc negotio inprimis locarunt, BAGLIVVS, ALPH. BORELLVS, BELLINVS, PITKARNIYS, GVILELMINI, BOHNVS, GFDEON HARVELS, KEILIVS, MAVR. HOFFMANNVS, BERGERVS, BOERHAVIYS aliique magni nominis medici. Et hi quidem futilitatem antiquorum dogmatum satis perspexerunt, ob eamque causam emendationem molientes, maximam inde reportarunt laudem; quos etiam hodie sequuntur omnes illi, qui nouitatis & auctoritatis praeiudicio acti, cuncta in re medica ad tantorum Virorum mentem explicata volunt, omniaque fastidiunt, quae ab illorum dogmatibus quoquo modo videntur aliena. Non profecto, quod ipsi veterum theoriam ceu mancam valde, re bene diiudicata, agnouerint, sed quod ipsi celebres magnorum virorum affectae haberi vellent. De quibus valet GASP. TAGLIACOTII, Professoris quondam Bononiensis iudicium quod sequitur: *Non desunt inani quadam & falsae popularis gloriolae aura commoti, qui non quam BENE, sed quam belle & VARIE dicant, hoc vnum moliantur & faciunt. Atque hi causam ostentandi potius ingenii sui, quam iuuandi alios in medium prorumpunt, non absimiles athletis, qui ad plausum populi in arenam prosilientes, vanum illud fortitudinis nomen captabant, cum vel ad tutandam rempublicam vel ad augendam, omnium essent ignauissimi & ineptissimi. Eos vehementer commendarim qui non tam varietate & splendore, quam bonitate & decore suam probarint operam non ut de iis vulgus leuioris & hebetioris ingenii, sed optimi quique candidioris & acrioris iudicii & praecipue posterius iudicent & commodum aliquod inde percipiant. Vid. eius epist. ad VINCENT GONZAGAM, Principem Mantuanum, quae Cheirurgiae nouae praefixa est. Noua ergo, tametsi veritate non satis munita crepare audent multi: sed quanta cum studio forum medicinae commodo id fiat, pridem perspexerunt illi, qui publice testari sunt, quod arti medicae nihil tam sit inimicum, quam neglecto & penitus pernegato motuum principio rationali (qui error in noua theoria vtramque paginam facit) omnia & singula in statu tam naturali quam praeternaturali obseruanda phaenomena, vni & soli*



structurae mechanismo tribuere praxinque medicam ad hasce hypothesas contortam exercere. Ignoratis enim principii rationalis intentionibus finalibus & motuum adparatu, illis ipsis intentionibus exsequendis destinato, nihil nisi immensi damni, errores practici expectandi sunt, ceu testes, mechanismi in physiologia & pathologia medica infelicissime adoptati, longe locupletissimi. Quae veritas in congestionum doctrina, in haemorrhagiarum negotio & febrium theoria a *PRAESIDE* aliisque naturae humanae gnaris medicis *STAHLIO* nimirum *ALBERTO*, *CARLIO*, *KANOLDO*, *GOELICKIO*, *NENTERO*, *GOHLIO*, *PELARGO*, *COSCHVITZIO*, *IVNCKERO* abunde demonstrata est. Pessime igitur iuuentuti consulunt illi doctores publici, qui ex auctoritatis praeiudicio, ac nouandi pruritu, spretis insuper obseruationibus illis, quae ipsius naturae intentionibus & executionibus therapeuticis, innituntur, το μηχανικον in corpore humano viuo, *vnice* & ad perniciem vsque humani generis vrgent, & hac ipsa methodo opinione maiorem corruptelam in artem introducunt, licet rigorosiores mechanici, qui a veritatis splendore percelli se passi sunt, saniora pridem docuerint publicisque facti sint scriptis. Vid. Cel. *RILARDI ANDALA*, Philosophi acutissimi, *Syntagma Theologico-Physico-Metaphysicum & Speciatim Diss. philos. Heptad. diss. III. de vnione mentis cum corpore physica, nequiquara metaphysica*. *CHRISTIANI STROEMII* Noua theoria motuum reciprocorum machinae animalis, *desinit. III. Motus animalis is est, qui quamuis mechanice peragatur, a causa tamen corpori distinctissima animae scilicet voluntate oritur*. *IO. MYLLERI* *Matb. Prof. Altostini* *diss. qua actiones animalium mechanice inexplicabiles sstnt*. Vid. *ARISTOTELES* *de partib. animal. lib. I. cap. I.* Η γενεσις των α και ψυχην κινησεως αρχην. Nonne omnis anima principium motus est! Idem loc. cit. *Qui de natura agit, eo amplius docere de anima, quam de materia debet.*

X.

Illis artis nostrae corruptelis strictim iam expositis quae ex *Corruptela ex mala consuetudine* impuro affectuum & praeiudiciorum fonte pullulant vltimo quoque subiungenda restat illa, quam pessima quaedam & doctoribus publicis valde solennis *consuetudine* protrudit: inconsulta videlicet, reipublicae damnosa & magistratum animaduersione digna, hominum ineptorum, e tonstrinis & pharmacopoliis exactorum, adeoque infortiorum, ad doctoratus gradum euectio. Leges quidem Imperatoriae postulant, vt habiles tantummodo idonei & sufficientes ad id reperti & iudicati creentur Baccalaurei, Magistri aut Doctores etc. *Conf. Maximiliani*



hiani II. Diploma pro erigenda academia Helmstadiensis, & Caroli VI. Privilegium pro Goettingensi. Sed mala consuetudo & antiquas & novas leges sustulit, & nouissimae perniciosissimaeque legis vim obtinuit. Conf. PET. MULLERVS Prof. Ienensis in tract. iurid. de gradu doctoris cap. III. §. 2. Qui Doctor euasurus est, eum non modice doctum esse satis est, sed quod gradus excellentiae pollicetur, insigniter ac supra caeteros qui inferioris gradus honores adipiscuntur eruditum esse necesse est. Hinc nec ipsi principes qui ex potestatis plenitudine agere possent, in conferendis dignitatibus doctoralibus faciles se praebent. Nam cum sit doctoratus non nuda & simplex dignitas, sed quae doctrinae & eruditioni tamquam fundamento innitatur, non potest facere Princeps doctorem, hominem plane rudem & inscium. Neque enim incirtia eiusmodi impedimentum est, quod dispensatione Principis tolli suppressique possit, neque is defectus aliquis est in principe, sed in subiecto. Quod SIGISMUNDUS Imperator in conuento quodam Basileensi confessus, cuidam Georgio Fisco legum Doctori, quem ipse vterius equestri dignitate ornauerat. Hic cum diu staret an equites animi, literatorum an equestrium partibus se sociaret, tandem ad equites transiuit. Cui IMPERATOR: parum considerate agis Fisco, qui doctores equitibus postponis. Ego enim equites vno die mille fecerim, doctorem mille annis vnum non fecerim. Minime omnium conferenda essent Doctoris priuilegia \* ab officio aliquo publico motis, aut doctoribus, quod tamen in Germaniae Belgique academiis aliquoties factum esse, PRAESES meminit, vtut antiquae leges id claris

\* IAC. PRIMEROSIUS de vulgi erroribus in medicina lib. I. cap. II. Galenus duplex facit medicorum ignorantium genus vnum illorum, qui mere empirici sunt, aliud eorum qui famam aliquam sapientiae habere volunt, & tamen ea probe non sunt instructi: tales sunt quam plurimi, qui vt maiorem sibi auctoritatem conciliant, honores academiarum, quos gradus vocant, leui pretio redimunt, nihilo tamen inde redeunt doctores. Vniuersitatum autem approbationes sapienter a maioribus institutae, elegantes sunt quidem & necessariae sed deberent diligentius obseruari. At tam omnia negliguntur, nam quibuslibet quantumuis sciolis, gradus exhibetur doctoratus, vnde fit, vt ex quibusdam academiis redeant doctores parum docti, nihil minus quam apti ad medicinam aut docendam aut faciendam. Paucaeque supersunt academiis, quas abusus ille non occupauit; Hispania excepta - - Viro quidem docto eiusmodi honores gratiam quamdam addunt, doctrinam tamen non tribuunt. Non solet enim qui hodie doctor non est, cras scilicet futurus, repente propterea fieri doctor, neque si eo gradu abstinere, fiet doctore quodam indoctor. Sicut igitur istas academiatarum constitutiones non improbo sed veneror, abusus tamen tam multos prodigare nemo potest. Plurimi enim medicastri huius artis ignari aut ea leuissime

prohibeant verbis. Ita in *Cod. lib. XII. tit. 2. CONSTANTINVS IMPERATOR* palam edixit: *vt neque famosis & notatis & quos scelus aut vitae turpitudine inquinat & quos infamia ab honestorum coetu segregat dignitatis portae paterent.* Quam ob rem optandum esset vt *GREGOR. THOLOSIANI* sententia *lib. XVIII. cap. VIII. de republica*, prolata, executioni daretur & illi qui, sua potestate temere abusi, indignos quosuis ad gradus academicos admiserunt, punirentur, suisque exuerentur priuilegiis, ne corruptelae latius diffunderentur, & medicina iam iam corrupta omnium exponeretur despicatui. Ad vberiore malarum consuetudinum enarrationem progredi iam esset animus, nisi hoc instituti videretur ratio. Medelae in votis sunt; vlcus norunt plurimi; quod, ne crebra contrectatione fiat nimium dolens, ad alia properare expedit.

PARS ALTERA

DE

CORRUPTELIS QUAS INFERVNT DISCENTES.

§. XI.

Corruptelarum artem nostram deprauantium auctores quoque statuius ipsos artis studiosos. Hi enim cum academiis in conferendis priuilegiis doctoralibus tam faciles esse obseruent; animum sibi sumunt, & id studiorum genus, vtpote cum tam insigni dignitatis appendice coniunctum, prae reliquis eligunt: credunt quippe ex praerudicio quodam, artem medicam esse facillimam, quoniam cuiilibet, triennio in academiis transacto, summos honores reportare conceditur. Hinc qui vel ad *iuris* doctrinas ineptos se deprehendunt, vel qui linguarum studia auersantur & *theologiam* eandem saepe ob causam reformidant; illi ad *musas medicas* non examinatis animi dotibus, pro uolant & quamuis linguae graecae ac latinae vniuersaeque Philosophiae penitus ignari sint: tamen ex arrepto hoc studiorum genere amplos in antecessum sibi pollicentur opes & properando nimis ad Doctoris gradum, frigide satis studia tractant, ac omne suum, in

*Corruptela ex praerudicio facillime ad discendi studis.*

B

com-

---

*imbuti, emto in peregrinis academiis doctoris titulo, aut saltem se emisse simulant, & sic e mentito honore superbi domum redeunt vt ciuium sanguine & diuitiis saginentur. In genere notandum erit: manus impendere periculum ab omnibus medicinam proficientibus, qui ea leuiter sunt imbuti, quam ab iis, qui nihil omnino norunt. Fiunt enim audaces, garruli, melioribus obgannunt, resistunt, atque illis se praeferre aut saltem aequare gestiunt. Obseruaui in quibusdam hanc malam consuetudinem vt quicquid probe medicus quisquam dixerit, contradicant, vt famam aliquam ex alieni nominis ruina possint aucupari.*

Pri  
le-  
onf.  
III.  
sed  
eros  
est.  
nt,  
am  
nae  
rin-  
ini  
ipis  
sed  
lam  
tem  
an-  
lem  
elle,  
im,  
nda  
de-  
ries  
laris  
pro-  
s du-  
orici  
n es  
uitor-  
redia-  
ratio-  
e sed  
libet  
sdam  
nam  
busus  
mores  
n qui  
neque  
acade-  
s pro-  
ssimo  
im



compendiis practicis germanica lingua conscriptis, ponunt praesidium. Quo tandem fieri solet, ut veros numquam indispicantur rerum medicarum conceptus, cum libros latinos, in collegiis explicandos, nequidem intelligant, sed collecta idearum confusarum farragine, in theoriae ac praxeos medicae partibus singulis perpetuo coe-cutiant, magnoque cum aegrorum & propriae famae dispendio saluentur practici. Quanti vero momenti res sit, arti medicae se consecrare velle, id optime exposuit *SEMPRON. GRACCHVS in Herma lib. 1. de requisitis medici Sect. 1. de vocationis internae ad hoc vitae genus examine & certitudine*; ad quem breuitatis causa remittimus.

### §. XII.

Augent porro corruptelas artis, illi, *primo*: qui *natura minime idonei* & humaniorum literarum *ignari* ad arduum hoc studiorum genus se conferunt. *Secundo*: illi, quibus animi dotes quidem sunt egregiae, qui tamen ob animi leuitatem & laboris fastidium, *primis* tantum *labris* ea degustant, quibus plenius imbuendus esset animus. *Tertio*: illi, quorum industria ad *aliena* delabitur, & loco studii medici vel philosophiam, vel herbarum scientiam, vel anatomiam, vel chymiam physicam, vel historiam naturalem vnice tractant, atque praepostere ex ornamentis *πρωτον εργον* faciunt, medicam vero artem veluti parergon leuissimum quasi eminus attingunt. *Quarto*: illi, quos alioquin non ineptos, ipsa *nummorum penuria* remoratur, ut nec librorum atque instrumentorum sibi subsidia comparent, neque doctoribus publicis honoraria soluere queant. Hi oppido parum proficiunt & quia ad penetralia artis numquam admissi sunt, in limine quasi haerentes cum ignorantia per omnem vitam colluctantur, ineptique manent artifices. *Quinto*: denique illi, qui bonis naturae dotibus, sanitatis ac opum beneficio turpiter abutentes, studiis insuper susque deque habitis, vitam scelerato *otio* transigunt, omneque tempus in pagorum popinis aut lupanaribus terunt, tandem vero triennio absoluto ad examina & capeendum gradum admitti contendunt. *Omnes isti*, quantopere artem crassa sua ignorantia corrumpant, nobis vel tacentibus, omnes cordati facile diiudicabunt.

## PARS TERTIA

DE

### CORRVPTELIS QVAS INFERVNT MEDICI PRACTICI.

### §. XIII.

Ex illis tandem quae §. §. duodecim praemissis allata sunt, iudicatu

catu erit facillimum, quales esse possint multi practici, & quae corruptelae ab iis deriuandae sint.

§. XIII.

Plura autem esse impedimenta, siue posita siue sumta, quae studiosorum in arte nostra profectus sufflaminant *Parte II.* ostensum iam est. Atque ex his nullo negotio porro diiudicari poterit dexteritas futurorum practicorum. Profecto qui firma non iecit artis fundamenta periodo academica, ille lubricum valde praxeos superstruet aedificium. Et quos ignorantia pressit priuo tempore, hauriendis principiis destinato, illos *doctoris gradus* nomenque *practici* nihilo reddet aptiores atque feliciores. Nam in iusta theoria coecutientium praxis, non potest non infelix crebrisque stipata esse allucinationibus. Qui vero spem suam in experientia clinica ponere satagunt, sine sufficiente cognitione *NATURAE*, motuumque tam secundum quam praeter naturam ciendorum, illi phaenomena quae obseruant, conceptibus suis erroneis praepostere adeoque infeliciter adaptabunt, in ipsa vero experientia haudquaquam euadent certiores, nec dum ad sanandos aegros exercitiores.

*Corruptela ex ignorantia.*

§. XV.

Ignaris, quos delineauimus practicis ad latus ponimus illos, qui artis quidem medicae posuerunt fundamenta vndiquaque inconcussa, sed ex academiis reduces, factique practici, studia prorsus negligunt; illis vnice contenti, quae paucioribus annis a doctoribus audiuerant publicis; non aliter ac si vno triennio omnis iam labor potuisset exantlari, omnique industriae positi essent limites neutiquam transiliendi. Quod praecudicium quanto maiorem arguit *axgiorav* eo negligentiores reddere solet practicos. *In tirocinio artis morimur omnes.* Et quemadmodum per triennium academicum manuuctione solummodo fruimur ad praxin eo feliciter exercendam: ita reliquam vitae tempus, quantum negotia clinica id permittunt, *Studiis*, hoc est: phaenomenorum ac obseruationum *adnotationi*, cum hausta theoria *comparationi*, & virium quas medicamenta in corpore viuo edunt *explorationi* consecrandum est: Haec autem qui negligunt, practicorum nomen tueri non valent & corruptelas corruptelis adcumulant.

*Corruptela ex studiorum neglectu post adeptum Doctoris gradum.*

§. XVI.

Plus corruptelarum quam emolumentorum in artem insuper redundat ab iis, medicinam facientibus, qui doctores quidem solenni ritu renunciati sunt, sed qui singulari quodam amore ducti, aliena

*Corruptela ex alienorum tractatione.*

aliena magno conatu agunt, clinicamque praxin lucri tantummodo caussa exercent. Nostrum iam non est illos speciatim commentari quos horti culturam, botanicen curiosam, chymiam curiosam anatomen curiosam deperiisse nouimus, neque de illis differendum videtur, qui oeconomicis curis, aut mercatu magis delectantur, quam aegri corporis *Philosophia*. Quaecumque autem illa fuerint, quae a practiccis amplificandae artis studio & naturae humanae intimius pernoctandae conatibus praeferuntur, medicos quidem curiosos forsan & diuites efficiunt, *practicos tamen non formant expertos, nedum fidos.*

## §. XVII.

*Corruptela  
ex consue-  
tudine em-  
pirica pa-  
naceis om-  
nes curan-  
di morbos.*

Eorum numerum, qui corruptelae artem deprauant, augent etiam illi, qui vna ferme methodo vnoque propemodum medicamento plures morbos sanare sustinent non sine insigni artis detrimento. Hoc autem corruptelae genus inferunt illi praecipue, qui simplicibus pharmacopolorum contemtis, composita praeferunt, ac panaceis a se praeparatis, & ita vocatis *uniuersalibus* lucrum quaerunt quaestuique inhiant, aliis relinquendo. Posito autem & false supposito, quod vno medicamine pluribus mederi possimus malis; *morborum historiae* prorsus consignabuntur nullae; *simplicium effectus* manebunt inexplorati; *therapia incrementis & experimentis* non perficietur, sed lucrosa empeiria vniuersam absoluet praxin clinicam. Quam ob rem in huius generis medicos qui vna methodo, vnoque medicamento tamquam vno ictu singulos morbos expugnare laborant pridem inuectus est GÉDEON HARVELLUS, *Regis Angliae* quondam Archiater *lib. de vanitatibus medicis Cap. II. p. m. 5.* Se omnino ferro vel chalybi & chalybeato syrupo quidam dicantes, illius vires omnibus fere morbis opponere moluntur, & iuste titulum ferreo-doctorum vel veterinariorum demerentur. Diacetam lacteam siue lac asininum, omnibus patientibus quosdam applicantes, asinariorum doctorum nomine insignire fas est. E tertia specie non pauci se chinchinae siue cortici Peruiano, patrum vel Iesuitarum pulveri addicentes, Iesuiticos doctores nuncupari malunt, a capite ad calcem defraudantes. Quarta medicastrosum species perraro aquas minerales aegros abdicare permittunt, quasi aquariorum medicorum nota gauderent. Phlebotomiam per omnes casus declinans nonnulli: alii in omnibus casibus celebrandam esse proferunt, quos Ianio doctores appellare aequum est. Postremi asserunt, atque hi sunt stercorarii doctores. Accensendi his essent alii, qui oleo vitae, qui creta, qui aqua frigida, qui calida, qui tincturis coelestibus, qui sale volatili, omnibus se mederi posse praetextunt, quorum tamen conatus in artis ignominiam vertuntur & corruptelarum impuros fontes constituunt.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Corruptela etiam haud leuis, qua plures practicum artem de-  
 praunt multorumque contemptui exponunt, est antiquissimae me-  
 dicinae partis, *Chirurgiae* scilicet in illis *ignorantia*. Hanc vna cum  
 anatome multi auersantur iam in artis tirocinio; ideo nec practici  
 vtramque suspiciunt Quanta vero id fiat cum artis pernicie, aegrorum  
 dispendio & propriae famae periculo, in praesenti curatius non expo-  
 nemus, ne ad casus singulares descendere cogamur. *Chirurgiae* pe-  
 ritia in nullo Medico desiderari debet; & sicubi in aliquo desidere-  
 tur, multum scientiae illi deesse credimus. Nam tonfores & balneo-  
 rum magistri, plerumque homines sunt parum experti, anatomes  
 ignari & ad chirurgicas operationes inepti; quibus si succurrere me-  
 dicus nec audet, nec potest, nae, quantum oberit aegrorum saluti,  
 suaeque aestimationi, quam tamen tueri deberet amplissimam. Ob  
 chirurgicam experientiam & dexteritatem magni hodie in *Gallia* ae-  
 stimantur anatomici & chirurgi; ob huius e contrario incertiam ni-  
 hil ibidem vilius est vulgari medico. Hinc principes in aulis semper  
 alunt chirurgum aliquem expertum, cui corporis sui curam vitro  
 committunt; in eligendis vero medicis aulicis paulo deprehendun-  
 tur difficiliores. FRID. HOFFMANNI Regis Prussiae Archiatri haec est  
 sententia in Epist. ad Henr. Bassium. Chir. Professorem: *magnopere me de-  
 flauit egregium, quod in re anatomica & chirurgica posuisti studium, vix  
 artis salutaris his partibus, sine quibus nec consistere potest, tantum abesi, ut  
 quidquam praecleara laude dignum perficiat. Nam si verum fateri debemus,  
 alteram harum disciplinarum OCVLLVM medici, alteram MANVM dextram  
 merito aliquis adpeller; in his vero minus subactum oculo manaque captum  
 non iniuste dixerit. Conf. PRAESIDIS dissertat. de chirurgia cum medicina  
 necessario coniungenda.*

## §. XVIII.

Ad artem corrumpendam faciunt tandem libri practici germanica lingua  
 a medicis consignati, qui tamen non vnus sunt generis. Quidam horum libro-  
 rum arti quidem dedecus non adferunt, ignarum tamen quemuis ad faciendam  
 medicinam alliciunt, & nauseam eo maiorem linguae graecae & latinae in  
 ignavis excitant. Qui vero has linguas non callent, eiusmodi compendiiis  
 germanicis delectantur, & veram rerum medicarum numquam sibi compa-  
 rant cognitionem. Interim tamen id incommodi secum ferunt, vt morta-  
 lium ignatissimis, qui victum alio modo lucrari vel non possunt, vel no-  
 lunt, ansam praebent ad pessimos ausus, & si falsis hypothesebus su-  
 perstructi sint, ad experimenta quaeuis funestissima. Libri enim practici,  
 quorum auctores secundum vulgarem methodum (nach dem gemeinen alten  
 Schlendrian) omnes motus paulo vehementiores, atque excretiones aliquam  
 mo-

molestiam adherentes, pro noxiis habent, & tam illos quam has quantocumque compescere ac suppressere suadent, illi perpetuo fallunt & nocent. Dum enim in eiusmodi compendio practico, in capite v. g. de dysenteria ignarus homuncio remedii formulam *adstringentem* cum singulari encomio legit, illico dysenteria laboranti illam propinat; sistitur alui fluxus, de effectu gaudet uterque & medicaster sistrum sibi pollicetur amplissimum. Verum enim vero, quia serum acre causticum & copiosius in intestinis collectum neque correctum neque sufficienter excretum, sed in intestinis per adstringens medicamentum conclusum atque incarceratum detinetur, opinione citius tunicas intestinorum corrodit, periculo plenam inflammationem excitat ac gangraenam, vitae ac dysenteriae finem non sine cruciatibus & siti restingui nescia accelerat. De haemorrhoidum fluxu per adstringens maleficium suppresso, nihil addemus. Vices enim nostras suppleant catarrhi suffocantes, hydropes, maniae, apoplexiae aliaque mala, quae haemorrhoides inausulto consilio suppressas excipiunt, & plus loquuntur quam quidem gratum est. Evidenti enim sunt testimonio, eiusmodi libros practicos in generis humani perniciem omnino esse scriptos. Credunt porro libri vulgares practici phthisin pulmonis ex ulcere contractam esse sanabilem. Hinc formulas subministrant egregias, si diis placet deabusque, ariphthisicas, traumaticas, arcanas & tantum non diuinissimas. Arripit isthaec arcana stupidum vulgus tonforum, militum exauctoratorum, opilionum, carnicum, veterularum, & phthisin curare in se recipiunt. Si vero examini subiiciatur falso decantata medicina, farrago se offert adstringentium & stypticorum e foro medico dudum proscriptorum, additis subinde expectorantibus & pulmonis tono inimicis, quae singula, qua ratione phthisin, etiam si abesset, certo inducere valeant, in lectionibus publicis atque priuatis abunde iam demonstratum dedimus. Perniciem ex his libris arti illatam, agnoscit nobiscum *PHIL. HECQUETVS doctor Parisinus in diss. de tolerandis medicamentis nouis libris*, quae opusculo de purganda medicina a curarum sordibus praefixa habetur. *Medicinam agro comparaueris, quem infestauerint noxiae aut inutiles herbae, adeo frumentum superat zizania. Id incommodi pessimo hominis mali consilio commissum fuisse nemo crediderit; ecquis enim in genus humanum gratis & maligne sic animatus fuerit, ut etiam saeuendo mortuus, hominum strages & homicidia patrare voluisset! Isthaec sors est medicinalium laborum si prauis fuerint, ut hominum vitis insidientur.*

## §. XX.

Quantum praeterea mores quorundam practicoorum dissoluti & manifestum atheismum spirantes, aliaque hic loci reticenda ad augendas artis corruptelas faciant, hac opera non excutiemus, progredientes ad reliqua.

## PARS QUARTA

DE

## CORRVPTELIS EX VARIIS CIRCVMSTANTIIS.

## §. XXI.

Supereff tandem ut quaedam adiciantur de illis, qui nostrae artis corruptelas



has optime quidem norunt, sed conuiuendo tamen eas quasi suffulciunt, nec inualeſcentibus, auctoritate ſua detrahunt, aut vires, quas illae cundo ſumſerunt, infringunt. Reum publicarum variarumque urbium & regionum Domini ii ſunt, penes quos imperii ſumma eſt, & qui corruptelas has intra triduum tollere poſſent, ſi ſerio vellent. De cauſis ob quas deteſtandae iſtae corruptelae a magiſtratibus paſſim tolerantur, nihil cum publico communi-  
candum eſſe, in praefenti, iudicamus, ne odium ex libera veritatis profeſſione contractum cum incommodo noſtro diu ſentire cogamur. Sufficit corruptelas artis, magiſtratus fouere *Primo*: dum tonforibus, decoſtori-  
bus, ſtudioſis deſperabundis (verdorbenen Studenten) opificibus, vetulis aliis-  
que vrbis quiſquiliis medicinam facere libere concedunt. *Secundo* dum bulla-  
to cuius, aut in academiis non ob merita ſed ob nummos promotio vitae ac  
opibus ciuium inſidiari indulgent, & blanda hac indulgentia homunciones  
ignaros eo audaciores reddunt, vt cognitionis ſuae defectus priuata indu-  
ſtria ſupplere numquam cogitent ſed iactabundi diuitias tantum meditentur  
e praxi clinica corradendas. Si quiſquam alius, hic profeſſo cogamur. Sufficit  
atque priuilegiorum abuſus eſt; de quo aliquando certior factus *Rex Scotiae*  
*REYDA* ſub poena capitali medicos eiuſmodi ignaros artem ſuam in hoſtium  
regionibus exordiri, nec in patriam ante XX. annorum decurſum redire iuſ-  
ſit. Quam legem ſi noſtro pariter aeuo latam haberemus, nimium quantum il-  
la expediret reipublicae. *Tertio*: dum medicos a priuata medicamentorum  
diſpenſatione eorumque mercatu haud prohibent, ſed fieri patiuntur, vt  
pharmacopoei praxi clinicae ſe ingerant eamque corrumpant ea plane ratione,  
qua & medici illorum quaefſtui detrahunt. Sed plura commentari conſultum  
haud videtur. *Conf. Ch. Thomae diſſ. de iure circa Pharmacopolia ciuitatum*  
*Cap. II, §. 14. Paul Ammanni Med. Crit. caſ. XXI. p. 159.*

§. XXII.

Quae vero & quanta ſit *Sereniſſimorum DANIAE Regum* cura in tollendis  
artis medicae corruptelis, proluxa oratione neutiſquam exponemus. Patres re-  
vera patriae agunt illi, & ne quid detrimenti in ſubditos ex malis moribus re-  
dundare poſſit, ſeueris iam pridem cauerunt legibus, id quod *editum medicinale*  
a tribus *DANIAE REGIBVS* confirmatum ſatis demonſtrat, §. III. verba ſunt  
ſequentia: *Legitime promotis medicis licitum eſto per regna noſtra & prouin-*  
*cias quandocumque opera illorum neceſſaria videbitur & deſiderata, medicam*  
*praxin exercere, conſultare & caetera omnia profeſſioni illorum congrua ex-*  
*ſequi §. III. Nemini praeterquam promotis medicis, vti dictum, permiſſum*  
*ſit aegrotis medicinam interne exhibere aut praefcribere. Reliqui omnes*  
*Pharmacopoei, chirurgi, chymici, ocularii, herniarum ſectores, circumſota-*  
*nei, empirici quocumque nomine veniant aut ſexu, penitus hic abſtineant.*  
Quod exemplum vt & aliarum ditionum magiſtratus ſequerentur, vehemen-  
ter optaremus. Hac enim ratione, *ars ſalutaris*, a tot tantisque corruptelis  
purgaretur & publica ſalus tuto conſilio validoque auxilio promoveretur in  
perpetuum.

F I N I S.


ERV-

## ERVDITO RESPONDENTI

S. D.

## P R A E S E S.

**L**egitimam causam ut publice TIBI gratuler, habere mihi videor. In Gymnasio enim nostro Academico ab Augustissimo Danorum Rege CHRISTIANO VI. recens erecto atque amplissimis privilegiis munito, primam disputationem medicam primus publice defendis. Facis id quidem non exercitii causa, sed in industriae bene locatae tessera. Ad academica quidem studia per biennium praeparatus, illis, mediis inter academicos doctores plenius iam frui percupis. Ne vero TE minus paratum ad altiora contendere velle, aliquis existimet; vires TVAS in arduo disputationis argumento prius periclitari & profectuum specimen legibus Gymnasii ita iubentibus, dare constituisisti. Caue autem, ut ne cognitis corruptelis, artis in TE excitetur fastidium: In meliora forsitan incidet tempora, in quibus maioris aestimabuntur medici quam aegryae. Quodsi benignum hocce fatum viuendo attigeris duplicata quasi opera Aesculapiae litabis arti. Dicit enim nequit quantum addere solet stimulum iusta eruditionis eruditorumque aestimatio. Quae si tollatur, ardor quoque scientiae augendae perficiendaeque in homine sublatus est. Hinc opportuna est FR. BACONIS COMITIS DE VERVLAMIO obseru. de augm. scient. l. IIII. f. m. 104. „Omnibus temporibus fama & opinione vulgi, sagae & aniculae & impostores Med. corum quodammodo suere rivales; & de curationum celebritate cum iisdem fere certarunt. Ex hoc, dic sodes, quid sequitur? nempe ut medici secum, quemadmodum Salomon in re grauiori: Si unus & stulti & meus euentus erit, quid mihi prodest quod maiorem sapientiae dedi operam. Equidem medicis minus succenseo si saepe numero vacent alicui alteri studio, quod admanant magis, quam arti suae propriae. Neque hoc fit ut arbitror quia habeant quae sibi obseruentur obiecta tam foeda & tristia, sed ob hoc ipsum de quo nunc agimus; nempe quod arbitrentur parum ipsis interesse vel ad existimationem, vel ad lucrum, an perfectionem in ea maiorem adsequantur. „ Quod reliquum est, coepta TVA secundet DEVS & studiis TVIS ita porro benedicat, ut TE quem suum diosum medicinae christianum dimittimus aliquando etiam medicum christianum videamus, a vitiiis academicis quibuscumque liberum atque incorruptum. Numquam TE pudeat CHRISTI eiusque dogmatum neque precum assidue fundendarum, quas omnes propemodum tantopere auersantur ac si summum studiorum ac omnis felicitatis arcana in manifesta positum esset asotia ac impietate. TIBI seris TIBI metes. Temporis si prudentem habueris rationem; nec studiorum, multo minus animae curam negliges, sed in id incumbes, ut diuinis aeque ac humanis iussis satisfacias. Quod ut ex voto cedat, ex animo precor. Vale. dab. Altonae die XXI. Augusti. Anno MD CC XXXX.



Ergo manus medicas adhibens suavissime DELI!

Vulnera contrectas, queis Medicina scater,

Difficilis labor est, at maior gloria. Nemo

Effugiet cautus, quae latuere, mala.

Monstra hinc errores corruptelasque virorum,

Dicta modo veterum quos tenuisse iuuat.

Exagitata cohors tota turbabere mente;

Si quicquam stupor hic vilitatis habet.

Ingenio opto TVO stimulos laus subdat & addat:

Haec Cygnea sonent proxima vota mihi.

Hicse per dilecto Dom. Respon-  
denti memoriam suam com-  
mendare voluit

GEO. MICH. BERNH. VOIGT.

Medicinae. Cultor Opponens.

Freund, Dein Bemühen entdeckt mit ächter Farb und  
Strichen

Was vor Verderben sich in unsre Kunst geschlichen.

Du schreibst was wahr und recht. Die Besserung hoffen  
wir.

Hygea ist erfreut, sie ruft und winket Dir,  
Sie zeigt Dir schon den Lohn vor Dein Bemühen von weiten.

Wirst Du hinfert vor sie und ihre Ehre streiten

Und ihren Ruhm erhöh'n, so stimmt sie mit mir ein:

Du wirst dereinst ein Licht in ihrem Tempel sein.

Hiedurch stattete seinem werthen Freunde  
seinen ergebenen Glückwunsch ab

Johann Conrad Straeckenbruck.

Med. Cult. Opponens.

Kömmt ich nach dem Leben schildern,  
 Ich entwürfe ienen Grauß,  
 Der mit so viel Aſterbildern  
 In der Weiſheit prächtgem Haus  
 So viel Ehren-Säulen decket,  
 Und der Wiſſenſchaften Kleid  
 Schändet, ſchwärzt, verderbt, beſlecket,  
 Und ihr Heiligthum entweiht.

Freund, iſt zeigſt Du das Verderben  
 Das die Arzenei-Kunſt plagt.  
 Hier ſind auch zerbrochne Scherben;  
 Doch Dein Fleiß entdeckt, veriaht  
 Das nerrufene Geſpinſte;  
 Und der Schickung weiſer Schluß  
 Zeigt uns künſtig zum Gewinſte  
 Einer beſſern Zeit: Genuß.

Ludov. Schüke.  
 S. S. Theol. Stud.



00 A 6300

ULB Halle 3  
003 637 115




Sb.

09.03/81.







DISSERTATIO MEDICA  
DE

**CORRVPTELIS**  
ARTEM MEDICAM  
HODIE DEPRAVANTIBVS

QVAM  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
SPECTATISSIMORVM  
**GYMNASIARCHARVM**  
IN  
REGIO GYMNASIO ACADEMICO ALTONENSI  
*PRAESIDE*  
VIRO DOCTRINA ET EXPERIENTIA CLARO  
**D. GEORG. CHRIST. MATERNO**  
DE **CILANO**

PHILOS. NAT. ET MEDICINAE PROFESSORE COMITAT. PINNE-  
BERG. ET RANZOVIENSIS MEDICO PROVINCIALI, ALTO-  
NENSIVM POLIATRO ET COLLEGII ANATO-  
MICI DIRECTORE

**ATRONO AC PRAECEPTORE MAXIME COLENDO**

DIE SEPT. A. MDCCXXXIX.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICE DEFENDET

**HENRICVS FRIDERICVS DELIVS**

WERNIGERODANVS, MEDICINAE CVLTOR.

ALTONAE,  
OPERIS HÜLLIANIS.

